



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118324**

§. 158. Pontificis sollicitudo Alphonsum & Mediolanensem Ducem cum  
Florentinis conciliandi

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

Sæcul. XV.  
A. C. 1447.

*anathematizati terram confiscamus, atque  
confiscata Carolo Galliarum Regi vel ejus-  
dem Delphino primogenito Filio donamus.  
Postea cunctos adhortatur fideles, ut cum  
Rege aut Delphino contra Amadæum & se-  
quaces procedant, utque universi eo libentius,  
& animosius ad id currant, omnibus, qui  
in propriis personis, propriisque expensis  
processerint, plenam suorum peccatorum ve-  
niam indulget. Nihilominus hæc Bulla  
Amadæo nec profuit, nec obfuit; Rex  
enim mediis nonnihil mitioribus, minus-  
que violentis utendum ratus, Anno se-  
quenti hanc in rem Lugdunensem coe-  
git conventum.*

### §. CLVIII.

*Pontificis sollicitudo Alphonsum &  
Mediolanensem Ducem cum Floren-  
tinis conciliandi.*

*Quo tempore Eugenius fatis cesserat,  
Alphonsus Arragoniæ & Siciliæ  
Rex Tibur, propinqua Romæ civitate,  
morabatur, anceps animi, retrone cede-  
ret, an Florentinos bello persequeretur,  
quemadmodum antea cum eodem  
Pontifice defuncto, & Duce Mediola-  
nensi conventum fuerat. Ast Nicolaus  
quietis amans, pacem bello longe  
præferendam ratus, Cardinalem tit. S.  
Praxedis Ferrariam misit, ut illius con-  
filio,*

filio, atque auctoritate Alphonsi, Ducis <sup>secul. XV.</sup> Mediolanensis, Venetorum, Florentino-<sup>A. G. 1447.</sup> rumque Legati, qui Ferrariæ hærebant, ad mutuæ pacis studia impellerentur. Hi postquam de jure suo utrinque diu multumque contendissent, tandem certas pacis conditiones proponere decernebant, forte Mediolanensium Duci haud adeo gratas, sed tamen ob infelicem statum, in quem Venetorum armis redatus erat, minime aspernandas. Cum vero Tabellarius ea de re literas Duci asserret, ipsum repentino morbo oppressum reperit: unde Veneti concordiam responde cœperunt.

§. CLIX.

*Philippi Ducis Mediolanensis Obitus.*

Præfati DUCIS nomen erat Philippus <sup>Antonin. tit.</sup> Maria Visconti, seu Vicecomes, po-<sup>22.c. II. §. 17</sup> stremus eorum, qui supremum Mediolani imperium ex hac Domo gerebant, postquam Vicecomitum familia plusquam centum, & septuaginta annos præfuisse. Mortuus est die tertia decima Augusti annos natus quinquaginta septem, cuius obitum referens S. Antoninus non adeo honorificam de eo mentionem fecit, haud dubie in eum commotus ex odio illius erga Florentinos, necnon ex turbis, quas in Italia continuo accenderat. Eo